



DISPUTATIO INAUGURALIS

IURIDICA

DE

IURE ACCRE-
SCENDI

Quam

PRAESIDE DEO TRIVNO.

Ex Decreto & Auctoritate

Nobilissimi & Amplissimi
IVRIS CONSULTORVM

Ordinis in celeberrima Argento-
ratenfium Univerfitate

Pro

Summis in utroque Iure Confequendis honorib.

Privilegijs, & Dignitatibus

DOCTORALIBVS.

Publico Solennique Examini
fubmittit

GEORGIUS Schwarzhire, Sebulenfis.

Ad diem 9. Menfis Maij. Junij.

ARGENTORATI,

Typis, JOHANNIS ANDREÆ.

M. DC. XLII.

35 507.

1642, 6.

.13.

est.

an-

ju-

de

ar-

sta-

no-

.de





VIRIS
Clarissimis, Amplissimis, Con-
sultissimis, & Prudentissimis
Dominis
CONSVLIBVS
Et
SENATVI

Inclytæ patriæ Civitatis Imperialis Weissenburg
ad Rhenum,

*Dominis suis Mecænatibus, Patronis, Fautoribus,
& Promotoribus in æternum colendis,
honorandis*

Hæc Theses suas inaugurales

D. D. D.

Georgius Schwarzerde
Sebusiensis.

In nomine Domini nostri Iesu
Christi ad omnes actus pro-
gredimur.

Sit itaque

DISPUTATIONIS INAUGURALIS.

DE

JVRE ACCRESCENDI

Thesis I.



Um teste Cicerone *lib. 1. de Offic.* Omnis quæ ratione suscipitur de aliqua re tractatio, debeat à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id de quo disputetur. mihi eandem methodum retinendam duxi: Ideoque Jus accrescendi: (a)

Jus (b) quo pars vacans (c) accedit (d) parti (e) occupatæ, (f) definitio. (g) Causam hujus Juris efficientem: Legem solam in successione ab intestato: & voluntatem in testamentaria & legato dico. (h) Illudque in Jus Accrescendi in specie sic dictum, & Jus non Decrescendi, divido. (i)

(a) Quod vocabulum cum in Iure nostro sæpius & vario si-
gnificatu occurrat, ab æquivocatione illud ut liberem, movet me
vulgatum illud: Erroris genitrix est æquivocatio semper. Oc-
currit itaque (1) *in pr. I. de exhered. lib.* ubi ex Iure veteri per-
sonæ

Homonymia

A 2

sonæ

sonæ personis accrescebant, & numerum heredum augebant, iisque portionem avocabant, partem scilicet virilem, si instituti essent sui: dimidiam verò si extranei, ut ex Vlpian. tit. 22. §. scriptis. 17. annotavit Dn. D. Locam. p. m. ad d. pr. (2) Occurrit in §. ult. l. de donat. ubi, servo communi ab altero dominorum, si fuerat libertas donata, pars ejus amittebatur, eaque socio accrescebat, quod ut invidià plenum, tandem ipse Iustinianus mutavit, l. 1. C. de commun. serv. manum. Hinc occasione d. §. ult. saltem quærere liceat? An idem sit dicendum in servo ab altero dominorum pro derelicto habito? Quod, cum in is servus propter inertiam forte vel nequitiam, vel alia scelera odio potius quam præmio dignus, non fiat liber, sed occupanti acquiratur, l. quod servus 36. de stipul. serv. & fac. l. ult. pro derelict. Negandum videtur. adde etiam quod habere pro derelicto non sit modus manumittendi vel libertatis imponendæ. Nisi forsan servus commiseratione potius quàm odio dignus judicetur. l. un. §. 3. C. de Latin. libert. toll. l. 2. C. de infant. expos. l. 3. §. 5. C. de bon. libert. Nov. 22. c. 12. Nov. 153. c. 1. (3) Occurrit in generali significatione ubi pro omni accessione sumitur: Sic in Constit. Tanta. §. pen. circa fin. de confirm. Digest. ibi: Tertia pars mundi nobis accrevit. Accrescere enim res dicitur, quæ alteri accedit l. 30. l. 56. de a. r. d. quæ alluvionis jure quæritur, l. 1. C. de alluvion. Vnde etiam cum alluvione comparatur. l. 33. §. fin. de usufr. In qua significatione cum jure nostro Accrescendi convenit in eo, quod utrobique sine ullo facto hominis fiat accessio: non tamen eodem modo. Nam per alluvionem quod adijcitur, ita paulatim adijcitur, ut non intelligi possit, quantum quoquo temporis momento adijciatur: §. 20. l. de re divis. quod non est in jure nostro Accrescendi: Vbi quamprimum portio vacans deficit, tota illicò eodem momento accedit, ipso jure l. 2. §. 8. l. 8. de B. P. S. T. & sine novo facto l. 35. l. 53. §. fin. de acquir. hered. l. 43. ad Treb. l. 6. pr. de B. P. (4) Occurrit in speciali significatu, ubi pars hereditatis aut legati vacans cedit parti occupatæ ad conservandam individuum defuncti voluntatem §. 8. l. de legat. l. un. §. 10. & 11. C. de Caduc. toll. C. I. A. de legat. & fideic. l. 35. p. ibi alleg. quæ significatio hujus loci propria est. Explanatâ utcunque homonymiâ, ad Originem, antequam ad definitionis explicationem abeam, ut me conferam, necesse est. Quo
Iure

Origo

Iure hoc Ius Accrescendi introductum sit, varia inter Dd. altercatio est, nec in eo unanimes sunt opiniones. Quidam originem ejus ad *L. 12. tabb.* referunt, idque *l. 29. §. 2. de leg. 2.* ubi Ius antiquum *L. 12. tabb.* notare volunt, sicut *in l. 1. §. 9. ad SC. Tertull.* Alij id probare volunt, *ex l. 5. fin. de vulg. & pup. subst.* Quos refutat *Suev. 1. de Iur. Accr. 3. Valent. Riem. de Iur. Accresc. c. 2. n. 1. & 2.* Quidam originem ejus ad *ICtos* mediæ Jurisprudentiæ referunt. *Suev. d. loco. Cretschm. de Iur. Acc. 8. 4.* Quidam ad *L. Iul. Papiam*, ut *Duar. 1. de Iur. Acc. 1. per d. l. si in testamento. 5. de vulg. & pup. subst.* quem *C. I. A.* refellit. *ex l. un. in fin. pr. C. de caduc. toll.* Vnde etiam ante *L. Papiam* jus accrescendi in usu fuisse colligitur, quoniam *L. Papiam* in multis casib. fuit ademptum; quod etiam *Duaren. dicto loco* concedit. Verum omnium probabilior opinio videtur ea: fuisse nimirum legem quæ jus hoc introduxit, sive à prudentib. introductum confirmavit, *quam ex Hillig 7. D. E. 12. lit. B. refert C. I. A.* Idq; partim ex **NECESSITATE** **IVRIS** cum nemo ejusdem hereditatis, qui nullum habet coheredem, partem hereditatis habere, partem repudiare possit, sed aut totam agnoscere, aut à totà recedere cogatur. *l. 1. & 2. l. 10. de A. vel O. H. l. 20. C. de Iur. delib.* Absurdum enim est ejusdem hereditatis partem agnoscere, partem verò repudiare: *ut dicit: Justin. in l. un. §. 10 C. de caduc. toll.* quod etiam in legatis obtinet *l. 4. l. 6. l. 58. de leg. 2.* propter individuanam defuncti voluntatem *l. 18. §. 2. de his qua ut indign. l. 7. de bon. libert.* ne una eademque hereditas diverso jure censi debeat, *arg. l. 23. pr. de usucap. fac.* & quod heres repræsentet personam defuncti & una cum eo persona esse credatur. *l. 22. de usucap. Nov. 48. in prefat. l. 31. §. 1. de hered. inst. & repræsentatio,* quæ uniformis esse debet, qualitates diversas non recipit, sicut nec homo vivens: sicut enim persona secundum idem & ad idem diverso genere censi nequit, sic nec hereditas defunctum repræsentans. *Suev. 1. de I. A. c. 2. pag. m. 10.* pro parte autè defunctus repræsentari non potest, cum contra naturam sit, quem pro parte vivere pro parte mortuum esse, & fictiones in jure semper naturam imitentur. *arg. §. 4. Inst. de adopt. adde quod etiam nemo paganus pro parte testatus pro parte intestatus decedere possit. l. Ius nostrum. 7. de R. I. §. hereditas. 7. I. de hered. inst. nisi ex post facto. l. 15. §. fin. l. 24. de inoff. testam.* Partim ex **CONJECTURATA** **VOLUNTATE** testa-

toris (qui censetur maluisse rei partem vacantem habere conjunctum quam heredem,) ex tacitâ quadam & præsumptâ substitutione *l. 61. §. 1. de leg. 2.* eo enim ipso quo plures testator ad idem vocat, non concurrentium partes ad reliquos suas portiones agnoscens pertinere, (eo modo quo fieri potest,) pro genere conjunctionum tacitè ostendit, *vid. Hillig. d. loc. Sæv. 1. d. tr. c. 3.* (b) loco generis hic assumo Ius: non enim novum esse dicit *Sæv. 1. d. tr. c. 4. p. m. 47.* unam eandemque vocem propter rerum copiam & verborum inopiam, & generis & speciei locum obtinere. Alij loco generis ponunt modum acquirendi, *ut Tr. 2. 13. 3. a.* quem refutat Bach. (c) partem vacare, ut sit locus juri Accrescendi, omnino requiritur, quod multis modis accidere potest, ut videre est *infr. 8. 3. lit. b.* puta deficiente conditione, repudiatione, morte, &c. nisi transmittatur ad heredes, quod ne nimis generaliter dictum videatur, paululum erit examinandum: Transmissionis dari tres species primo omnium sciendum. Prima est de jure Veteri ex Iure Svitatis, ubi filius in potestate constitutus est suus & necessarius heres *§. 2. I. de hered. qual. & differ. §. 2. I. de hered. quæ ab intest. l. 11. de lib. ac posth. l. in suis. 14. de suis & legit. her. l. 1. §. 7. si quis omis. caus.* & hereditatem ad heredes non modo suos sed etiam extraneos. *l. apud hostes. 8. C. de suis & legit.* etiam testamentarios transmittit *l. 19. §. 2. de Castr. pecul.* sive ex asse solus, sive ex parte cum alijs coheredib. suus ille heres, non declarata voluntate decedens, institutus sit. *l. 3. C. de Iur. delib.* Existentia enim sui heredis de Iure Civ. prætorio Iure non impedita, nec enervata, tantum operatur quantum aditio hereditatis *l. 7. §. 1. de acquir. hered. l. 9. de jur. fisc.* hinc etiam hereditatem ad quoscunque transmittit. Ex hætenus dictis nunc patere puto, hanc primam transmissionis speciem potentiorē esse jure Accrescendi, idque excludere. Secunda transmissio est ex Iure sanguinis, ex constitutione Theodosij, ubi heredes (liberi scilicet cujuscunque gradus in successione parentum fœmini sexus & lineæ maternæ) ad instar suorum heredum, secundum quid & quoad effectum transmittendi, Ius SVORVM acceperunt. *l. un. C. de his qui ante apert. tabb.* Vnde hereditatem delatam non aditam, non ad quoscunque sicut illi sed in liberos tantum transmittunt. Regulariter enim hereditas tantum delata non adita non transmittitur

titur l. 7. C. de jur. delib. l. un. §. 5. C. de Caduc. toll. Et hi trans-
 missarij conjunctos excludunt. Tertia transmissionis species
 est ex Iure deliberandi ex Const. Justin. in l. 19. C. de Iur. delib. sed
 cum heredis deliberantis & intra tempora præfinita decedentis
 portionem vacare vel deficere, dicere quis non possit, nec ejus
 portio, quasi deficientis, jure accrescendi ad coheredem pertinebit,
 sed jus adeundi vel repudiandi ad heredem transmittet. d. l. 19.
 C. de jur. delib. (d) ipso Iure l. 2. §. 8. l. 8. de B. P. S. T. sine
 ullo facto hominis l. 35. l. 53. §. fin. de A. & O. H. sicut in alluvione,
 cui etiam comparatur l. 33. fin. de usuf. adeo ut nec nova aditio vel
 agnitio necessaria sit, l. sed cum 6. in fin. pr. de Bon. Possess. sed se-
 mel adijisse sufficit l. 80 §. 3. de acquir. hered. l. 2. §. 8. de B. P. S. T.
 si suam partem agnoverit. l. un. §. 10. C. de caduc. toll. l. 6. C. de imp.
 & al. subst. & accrescit pars hereditatis vacans pro portione here-
 ditaria l. un. §. 8. 10. C. de caduc. toll. l. 59. §. 3. l. 13. §. 3. de hered.
 inst. l. 78. §. 4. l. 23. ad Treb. fac. quod heredes succedant in jus
 defuncti universum. l. 24. de V. S. & onera & commoda heredita-
 ria pro partib. hereditarijs sentiant. l. 1. C. si cert. petat. l. 2. C. de
 hered. act. l. 26. C. de pact. l. 6. l. 23. C. fam. hercisc. l. 10. de R. I.
 Pars vero legati accrescit pro parte virili. d. l. un. §. 8. & 11. C. de caduc.
 toll. Quæstionis hujus: An partes hereditariæ in Iure Accrescendi
 censeantur repetitæ? Aff. An idem in legatis obtineat? N. Ra-
 tio hæc est; quia quæstio hæc in legatis non reperit terminos ha-
 biles: partibus enim in legato factis non amplius locum habet,
 Ius Accrescendi. Casus sic formatur. Primo ex unica, secundo
 ex sextante, Tertio ex triente, Quarto ex quincunce fundum
 Tusculanum do lego: Quæritur. Si unus ex his deficiat, an reli-
 quis pro partib. legati accrescat? & cum omnino non sint con-
 juncti, nec ad idem vocati, nullo modo inter eos esse Ius Accre-
 scendi, nisi testator hoc expressè sanxerit: tunc enim transit in
 substitutionem & eodem jure quæstio erit decidenda, cum fa-
 ctæ partes in institutione. in substitutione censeantur repetitæ.
 §. 2. I. de vulg. subst. l. 24. l. 5. l. 8. §. 1. de vulg. & pup. subst. Eâ-
 demque pars illa vacans & accrescens, petitur actione qua Princi-
 pale, cum accessorium sequatur suum principale. c. accessorium
 de R. I. in 6. l. 76. pr. de Rei vind. Nec pars principali s& accedens
 diverso jure censeri debet. l. 26. §. 2. de pact. dotal. (e) por-
 tioni

tionem enim occupatæ portio deficiens accrescit. *l. 83. de acquir. hered.* non personæ, id est, accedit personæ non ut ei est legatum, sed ut legati portionem acquisivit, sicut in alluvione *l. 1. C. de alluvion. ut habet C. I. A.* Excepto usufructu qui non portioni sed personæ accrescit. *l. 33. §. 1. de usufr. l. 10. de usufr. accresc. l. 14. §. 1. de Except. rei jud.* (f) Portio enim deficiens non accrescit nisi ei qui suam portionem agnovit, & quæsitam habet. *l. 3. §. fin. l. 4. l. 5. de B. P. l. un. §. 11. C. de caduc. toll. l. 9. de suis & legit. l. un. C. quand. non pet. part. l. 1. §. 9. ad Tertull. Vid. omnino C. I. A. quib. non compet. bon. poss. §. 3. n. 2.* licet illa pars quæsitam postea amittatur, tamen non accrescit reliquis, sed tanquam pro derelicto habita occupanti conceditur *l. 1. §. 3. vs. sed in usufructu. de usufr. accresc.* partem autem occupasse non sufficit, sed insuper etiam requiritur, ne illi invito eripatur, unde ei qui hereditatem coactus restituit, nihil accrescit, quia rem non habet, *l. 83. de acquir. hered. l. 43. ad Treb. & si tacite rogatus sit hereditatem restituere nihil retinet d. l. 83. ne quartam quidem, idque ex SC. Planciano, l. 59. §. 1. ad L. Falcid. cum fiscus ei eripiat omne emolumentum l. 17. §. 2. de usur. tacita enim fideicommissa, in fraudem legis relicta, l. 1. C. de delat. 10. 11. fisco vindicantur. l. 3. pr. §. 1. l. 40. l. 49. de Iur. fisc. l. 10. pr. & §. 2. l. 11. l. 18. pr. de his que ut indign. Nisi sponte adierit & restituerit hereditatem, retentam quartam Trabellianicam, quo casu cum rem habeat. *l. 83. de acquir. hered.* Idque ut heres *l. 22. §. ult. ad Trebell. & onera & commoda pro rata portione scindantur §. 7. I. de fideic. hered. etiam commodum juris accrescendi eam sentire non nego. arg. l. 10. de R. Iur.* (g) cum *C. I. A. de legat. & fideic. §. 35. in fin. Vult. ad §. ult. I. de donat. Suv. 1. de I. A. c. 4.* Alij alias habent definitiones ut apud *Dd.* videre est. (h) Restat ut ad causam efficientem abeam quam in successione ab intestato solam Legem: In successione testamentaria & legato voluntatem (subaudi legibus congruam *arg. l. 55. de legat. 1. l. 50. C. de Episcop. & Cler. l. 35. pr. C. de inoff. testam.*) defuncti esse dicit *Suv. 2. de I. A. 1. Cretschm. d. tr. de Iur. Accresc. th. 26.* Tota enim Causa Iuris accrescendi in legatis petenda est ex voluntate testatoris, ut inter quos testator voluit Iuri Accrescendi esse locum, inter eos solos sit, inter alios, non item. Nulla enim necessitatis ratio excogitari*

gitari potest, quæ nos cogat jus accrescendi in legatis inducere, si-
 ve præter sive cōtra voluntatē testatoris, cū portio deficiens commo-
 dè possit remanere penes heredem, nec in eo quicquam absurdi
 futurum sit. Sicut in contrario perabsurdum esset dare totum le-
 gatum prætextu Iuris accrescendi, ei, cui testator non nisi partem
 dedisset. *ut infr. th. 3. lit. b. dicetur.* quod tamen eveniret, si præter ne-
 dum contra voluntatem testatoris jus accrescendi in legatis indu-
 ceretur. (i) Cum hæc distinctio in jus Accrescendi in specie
 sic dictum, quod sibi locum vindicat in Re & verbis conjunctis,
 & Ius non-Decrescendi quod in re conjunctis obtinet, sit in *Con-*
stit: *Imp. in l. un. §. 11. C. de caduc. toll.* satis sufficienter funda-
 ta; eò firmiter contra quosdam defendi potest, per ea quæ habet *C.*
I. A. de legat. & fideic. §. 37.

Thesis II.

De Materia: in qua re nimirum Jus Accrescendi locum
 habeat, in qua vero non, sciendum illud habere
 locum in omnibus successionibus, (a) & volun-
 tatibus (b) ultimis, (c)

(a) Universalibus: *l. triplici. 142. de V. S.* de quibus non est
 dubium, cum absurdum sit ejusdem hereditatis partem agnoscere
 partem verò repudiare: *l. un. §. 10. C. de caduc. toll. l. 1. 2. de acquir.*
hered. Et hereditas in se considerata sit individuum quid, seu uni-
 versitas quædam & successio in omnia jura defuncti. *l. 8. de Rei*
Vind. l. 62. de R. I. C. I. A. de acquir. hered. §. 20. Necessario reliquis
 heredibus vacantes portiones accrescunt *l. 13. §. 2. & 3. de hered.*
Inst. §. 9. I. eod. Tam in successionibus *EX TESTAMENTO l. 63. l. 20.*
§. 1. 2. de hered. inst. l. 35. de acquir. hered. cum nemo paganus pro
 parte testatus pro parte intestatus decedere possit. *l. 7. de R. I. §. 7.*
I. de hered. inst. (excepto milite. *d. §. 7. I. de hered. inst.* hinc nec
 Ius accrescendi in ejus testamento habet locum *l. 37. de testam. mi-*
lit. l. 42. §. 1 de bon. libert. l. 1. C. de testam. milit. nisi Iure communi
 decesserit. *l. 3. C. d. t.* licet hereditas non manserit apud directum he-
 redē, sed fideicommissario fuerit restituta. *l. 83. de acquir. hered. l. 43. ad*

B

Trebell.

Trebell. habetur enim heredis loco, pro qua parte ei est restituta hereditas l. 44. §. fin. ad Treb. Quàm in successione. AB INTESTATO. l. 9. de suis & legit. l. 1. §. 9. ad Tertull. Idque sive ab initio, sive ex post facto, per querelam inofficiosi rescisso testamento, successioni ab intestato fiat locus l. 23. §. fin. de inoff. testam. Nec interest Civilis l. 53. §. 1. l. ult. de acquir. hered. l. 28. §. ult. de lib. & posthum. an prætoria sit successio. l. 12. de B. P. C. T. l. 1. §. 12. de conjung. cum emancip. lib. l. un. C. quand. non pet part. l. 3. §. ult. l. 4. l. 5. de B. P. Vid. abunde. C. I. A. de hered. inst. §. 15. pr. (b) l. un. §. 14. C. de caduc. toll. ut puta in LEGATIS l. un. §. 11. C. d. t. l. 89. de leg. 3. §. 8. I. de legat. Hinc quæritur: Si servo communi fuerit legatum, An Ius Accrescendi habeat locum? Vbi primò omnium videndum, an servo simpliciter, qui est servus communis, an vero servo communi contemplatione Dominorum legetur, (quod enim contemplatione mei dispositum est, meum esse videtur. l. 45. §. 4. de acquir. hered. l. 63. §. 4. ad Treb. l. 22. de usufr. confer. ea qua habet C. I. A. Vnde legit. §. 9.) quo casu, modo legatum acquiratur pro partibus dominicis, modo pro virilibus: si pro dominicis partibus acquiratur, tunc in legato propriè non est Ius accrescendi l. 20. de leg. 2. quia partes dominicæ jam antè sunt constitutæ & factæ d. l. 20. ibi enim: non conjunctim sed partes legatas: cum pro æquis seu virilibus partibus acquiratur, tam in legato proprietatis, quàm usufructus est Ius accrescendi: quia viriles seu æquæ partes non modo fiunt concursu, sed etiam facile ad totum trahuntur l. 145. de V. S. cum servus communis non naturaliter & in se, sed in dominorum persona consideratus, sustineat personam duorum l. 1. §. 4. de stip. servor. l. 81. §. 1. de legat. 1. Ne autem quis hinc insurgat argumentando. Si non accrescit portio ab altero dominorum repudiata. Ergò manet penes heredem: sciendum esse fallaciam secundum plures quæstiones: aliud enim est quærere: an pars altera repudiata à socio, pertineat ad socium? quod affirmatur, l. 49. ad L. Falcid. l. 63. §. 9. pro soc. l. 1. §. 4. l. 7. §. 1. l. 9. pr. de stipul. serv. l. 12. de author. tut. aliud quomodo vel quo jure? & Iure dominij. §. 3. I. per quas person. cuique quid inquir. non jure accrescendi. Et habet locum Ius Accrescendi, non tam in legato proprietatis per infinitos text. quàm in legato usufructus t. t. de usufr. accresc. qui tamen quædam habet specialia, ideoque

ideoque huic juri accrescendi, specialis est assignatus titulus. C. I. A. de usufr. accresc. 0.1. In mortis causa donatione, non modo quod hæc donatio ad exemplum legatorum per omnia sit redacta §.1. I. de donat. l. ult. C. de mort. caus. don. l. 9. l. 15. in fin. l. 17. fin. l. 25. pr. l. 27. pr. de mort. caus. donat. Vnde etiam dominium sine traditione ipso jure donatario ex hac donatione acquiritur. l. 1. §. ult. l. 2. de pub. in rem act. l. 37. pr. l. 29. de mort. caus. donat: Verum etiam propter expressum textum in l. un §. 14. C. de caduc. toll. An etiam obtineat, in mortis causa capione? de qua. est l. 31. pr. l. 18. de mort. caus. don. quod affirmare quidam volunt ex l. 23. de Cond. & dem. l. Thais. 41. §. Stichus 14. de fideic. libert. fortius tamen facit quod ultima voluntas quædam sit ubi locum habet Ius accrescendi. d. l. un. §. 14. ibi in omni ultimo elogio. Duar. 1. de I. A. 16. Quid de jure Patronatus dicendum? & ibi Ius Accrescendi locum habere patet, si unus patronorum suo jure cadit, quod fit si patronus capitali pœnâ damnatur nec restitutus fuerit. l. 9. §. 1. de jure patron. si libertum cujus operâ utitur non alat l. 5. §. 1. d. t. l. 3. §. 7. l. 18. l. 21. l. 33. de bon. libert. si ægrotum non curet l. 3. §. 5. de jur. patron. Si ipse vel ipsius jussu filius, libertum vel libertam ne uxorem ducat aut nubat alij, vel sibi cum ipsum ducere nollet, juramento adegit, vel jurare patiatur. l. 6. pr. §. 3. 4. de jur. patron. l. 24. de bon. libert. l. 3. §. 5. de suis & legit. & accrescit quoad portiones hereditatis legitimas. l. 24. de bon. libert. l. 21. §. 2. de jure patron. non quoad jus patronatus quod est individuum. l. 41. fam. hercisc. l. ult. de jur. patron. l. 10. §. 1. de asing. libert. An in legitima filijs debita? Aff. per l. 17. l. 23. de inoff. testam. l. 36. pr. C. d. t. l. 21. §. 2. de Iur. patron. (c) Hinc omnes conventiones, actiones inter vivos, & contractus excludo cum leges de jure Accrescendi latæ loquantur tantum de hereditatibus, legatis & omni ultimo elogio. l. un. §. 10. 11. 14. C. de caduc. toll. Vbi Imp. ex professo agit de Iure Accrescendi nec tamen, ne verbo quidem mentionem facit contractuum: fac. quod nec sit eadem ratio inductiva in contractibus quæ est in hereditatibus & legatis. Nemo enim ex conjecturata mente promittentis dicet, in contractibus promittentem maluisse partem alterius

stipulantis ad alium pervenire, quam apud se remanere, & aperte
videre est *ex text. in §. si quis alij 4. vs. quod si quis. l. de in util. stipul.*
l. 110. de V. O. ibi: quod extraneo inutiliter sum stipulatus non auget
partem meam. & quæ non expressè & palam verbis sunt expressa,
omissa censentur *l. 99 de V. O.* & licet pacto vel expresso vel tacito
aliter fuerit conventum, cum pacta dent legem contractui *l. 1. §. 6.*
deposit. Illud tamen non ex conjunctione sed ex conventionem
fuit. Hinc quaeritur: An in emptorem hereditatis transeat Ius
accrescendi? Quod, cum emptor non fiat heres: heredem enim
ne prætor quidem facere potest *pr. l. de B. P.* multo minus privato-
rum pactis & conventionibus id expediri poterit. *arg. l. 38. de pact.*
l. 1. §. 9. de magistr. conveniend. Et portio hereditatis, vel quod ipsa
lex ejus loco maximè in universalibus substituit. *l. 22. de hered.*
petit. l. 25. §. 1. l. 39. de usufr. l. 18. quod met. caus. l. 33. de pecul. l. 9. quæ in
fraud. cred. l. 4. fin. si quis omiss. caus. vel hereditas (quæ etiam si-
ne ullo corpore juris habet intellectum *l. 50. de hered. pet. l. 119. l. 178.*
§. 1. l. 208. de V. S.) ipso jure maneat penes heredem, nec à perso-
na ejus separari possit. Cum *C. I. A. de hered. vel act. Vend. §. 13.*
circa fin. negandum videtur. Ne habet emptor portionem he-
reditatis, (quod tamen requiri videtur *l. 83. de acquir. hered.*)
hereditas enim adita non amplius est hereditas, sed heredis patri-
monium: unde mutato nomine mutantur privilegia nominis.
l. ult. C. de inoff. testam. bona enim semel quæ sita undecunque
pervenerint, cum alijs consolidantur & unum patrimonium effici-
unt, *l. 10. §. 2. de vulg. & pup. subst.* nec viventis ulla est hereditas
l. 1. de hered. vel act. vendit. l. 1. pro hered. & qui semel heres extitit,
heres esse desinere non potest. *l. 88. fin. de hered. inst. l. 7. §. 10.*
de minor. Et semper ipsi heredi, nisi se indignum reddiderit, accre-
scit. *l. 83. de acquir. hered.* frustra enim implorat beneficium le-
gis qui in legem committit. *An in unione prolium sit locus Iuri Ac-*
crecscendi? Affirm. non quod propter conventionem & pactum
quod parentes diversorum liberorum inierunt, sed propter inde
ortam successionem, & ita gaudent jure accrescendi liberi, non
quatenus parentes vel ipsi fuerint pacti, sed quatenus succedunt &
sunt heredes uniti, quod & facit adoptio. *Suev. 2. de I. A. c. 2. p. m.*
108. & Gail. 2. O. 125. n. 6. De re ab Imper. duob. donata, quid di-
cendum, num & ibi locum habebit? Neg. Cum illud potius li-
beralitati

beralitate imperatoriae & largissimae ejus interpretationi: quam
juris necessitati adscribendum sit *arg. l. 3. de constit. princip.*

Thesis III,

Ad formam ut transeam, & ratio methodi & ordinis
suadet, ubi pono requisita duo: Conjunctionem
(a) nimirum plurium heredum, vel legatariorum:
& Defectum (b) portionis quae accrescere dicitur.
Conjunctionem secundum receptam divisionem
facio triplicem: (c) Realem, (d) Verbalem, (e)
& Mixtam: (f) in quibus an habeat locum Jus
(g) Accrescendi & quomodo (h) videbo.

(a) Ut Iuri Accrescendi sit locus requiritur ut sint conjun-
cti, ex conjunctione enim hoc jus nascitur & versatur tantum in-
ter conjunctos, unde etiam jus conjunctionis dicitur *l. 16 quib.
mod. ususfr. amitt.* quam C. I. A. definit: quando RES in specie ut
ICTILOQUUNTUR. *l. 54. pr. de V. O. seu numero & individuo Tr. 2. 13. 3.*
B. ut sit idem corpus & idem individuum Bach. *ad Tr. dict. loc.*
EADEM *l. 84. §. 12. de leg. 1. CONCURSU DIVIDENDA l. 1. pr. §. 3. vs.*
nam §. ult. l. 3. pr. de ususfr. accresc. l. 80. de leg. 3. EODEM TESTAMENTO
l. 16. quib. mod. ususfr. amitt. l. 34. §. 10. de leg. 1. quia ejusdem hominis
plura testamenta esse non possunt, sed voluntas ultima una est
tantum. EODEM SUCCESSIONIS GENERE *l. 6. pr. de B. P. PLVRIBVS*
VT PLVRIBVS arg. l. 7. §. 1. quod cujusque univers. nom. l. 2. l. 19. §. 1. de
reb. dub. fac. l. 20. l. 40. de leg. 2. LEGATVR. Ex hac definitione PA-
TET si duobus vel pluribus simpliciter & in genere eadem quanti-
tas legatur, terminos aptos & habiles conjunctionem non inveni-
re, si enim separatim legatum sit relictum, V. C. hoc modo: pri-
mo decem lego, secundo decem lego, non unum, sed plura legata
esse non dubitandum: Si conjunctim. V. C. hoc modo: Primo
& secundo decem lego, sola decem, non dena debentur *l. 79. de*
leg. 1. l. 38. §. 19. l. 56. de V. O. verum cum quantitas & re & intelle-
ctu divisibilis sit, enumeratione personarum divisio & partes ab
initio factae videri possunt, *l. 56. de cond. & dem.* & ideo ab utroque

B 3 non

non nisi quinque peti possunt. *l. 110. de V. O. l. 89. §. 2. de leg. 2. §. 4. vs. quod si quis. l. de inutil. stip. ubi Dn. D. Locam. p. m.* Nisi summam illam non qua quantitatem, sed qua certum corpus legaverit, videlicet decem nummos quos in arca habeo, tunc enim summa illa exemplo cujuslibet corporis aestimanda erit *l. 51. l. 108. §. 10. de leg. 1. l. 1. §. 7. de dot. preleg.* PATET & hinc ex hac definitione jus hoc conjunctionis non reperiri in una persona: licet enim unica persona ex parte tantum §. 7. *vs. nam tot, l. 28. §. ult. de lib. & posth. l. 41. §. ult. de vulg. & pupill.* Vel partibus diversis *l. 20. C. de Iur. delib. l. 80. pr. de acquir. hered.* fuerit instituta heres, partem tamen hereditatis agnoscere & partem repudiare nequit, cum aditio quæ pro parte fieri nequit, trahatur ad totum. *l. 1. l. 2. l. 10. de acquir. hered.* sed ex asse fit heres *l. 52. §. 1. l. 53. de acquir. hered. l. 27. §. 1. l. 33. de hered. inst.* idque non jure accrescendi, nullum enim habet coheredem, nec portio deficit, sed jure & vi institutionis suæ, vi regulæ in §. 7. *vs. neque. l. de hered. inst. l. 7. de R. I.* quod nemo pro parte testatus pro parte intestatus decedere possit. Conjunctionem hanc vulgo faciunt duplicem: alteram LEGIS ubi lex hereditatem ab intestato defuncti proximis vel eos repræsentantibus defert *l. 9. de suis & legit. l. 1. §. 9. ad Tertull. l. 53. §. 1. l. ult. de acquir. hered. §. ult. l. de S. C. Orphit.* vel prætor (nam & Ius honorarium viva vox Iuris Civ. dicitur *l. 8. de Iust. & Iur. l. 2. §. 13. de Orig. Iur.*) dat bonorum possessionem *l. 3. §. ult. l. 4. l. 5. l. 6. de B. P. l. un. C. quand. non petent. part. l. 2. §. 8. l. 8. de B. P. S. T.* Et in hac legali conjunctione jus accrescendi esse patet *ex dd. text.* alteram HOMINIS ubi testator duos pluresve ad hereditatem vel legatum conjunctim vocat, de qua in subsequentibus plenius videbo. (b) Omnino enim necesse est partem legati deficere ut locus sit juri accrescendi, hinc Suevius defectum dicit causam sine qua non. Deficit autem legatum, dum repudiat alter legatariorum legatū. *l. 4. de B. P. aut vivo testatori decedit. l. un. §. 3. C. de caduc. toll.* aut conditio sub qua fuit legatum relictum, deficit. *d. l. un. §. 7. C. de caduc. toll.* aut alio quocunque modo legati incapax redditur. *d. l. un. §. 10. C. d. t. ibi: quoquo modo evacuatum. §. 8. l. de legat. ibi vel alio quocunque modo defecerit.* Vnde quæritur: an is qui tempore facti testamenti in rerū natura nec præsens, nec futurus (ignorante id testatore.) vel omnino incapax fuit, faciat

faciat partem? & Imper. ejusmodi incapaci relicta haberi pro non
 scriptis, quæ autem pro non scriptis habentur, remanent apud eos
 à quibus sunt relicta, nisi vel substitutus suppositus vel conjun-
 ctus aggregatus fuerit, idque de jure antiquo, quod intactum illi-
 batum & in omne ævum valiturum custodiri præcepit. *l. un. §. 2. 3. C. de caduc. toll. §. 8. I. de legat. l. 34. §. 11. l. 15. §. 1. de legat. 1.* Excipe ta-
 men damnationis legatum; ubi si res eadem duobus disjunctim
 legata erat, alter rem alter æstimationem habebat, si conjunctim,
 partes ab initio habebant & incapax faciebat partem *vid. Vlp. tit. 24. §. 13.* Cujus legati rudera adhuc in quibusdam Digestorum tex-
 tibus. *Scilicet in l. 16. pr. l. 84. §. 8. de leg. 1. l. 7. de leg. 2. & alijs non-*
nullis videre est, teste Pacio. in analys. I. ad. §. si eadem res. 8. not: 6.
C. I. A. de legat. & fideic. §. 41. Du. D. Locam. p. m. in prælect. publ. Diss.
de legat. & fideic. §. 3. lit. f. Gædd. ad l. 142 n. 12. de V. S. Borch. ad d. §. 8.
I. de legat. Riem. de Iur. accr. cap. 13. n. 2. Tim. Fab. Diss. ad Inst. 20. §. 10.
 (c) *l. 142. & ibi Gædd. de V. S. l. 89. de leg. 3. ubi Dd. C. I. A.*
de acquir. hered. §. 21. & de usufr. accresc. §. 3. Duar. I de Iur. Accr.
 6. (d) Re conjuncti sunt (qui etiam aliàs in jure nostro vo-
 cantur disjuncti. §. 8. *I. de legat. l. un. §. 11. C. de caduc. toll.*) quan-
 do duo pluresve, separatim & absque copula nominantur, verum
 ad unam eandemque rem vocantur, ita ut una eademque res indi-
 visim ac in solidum æque uni ac alteri seu peræque ac omnibus ac
 singulis sit legata V. C. primo fundum Tusculanum do lego, Se-
 cundo fundum Tusculanum do lego: Primus heres esto, Secun-
 dus heres esto. Sive res hæc eadem ex se sit, vel per se, sive per
 consequentiam, nil interest (modo non fiat ex post facto & tali
 casu de quo nec ipsum testatorem cogitasse verisimile est. Conjun-
 ctio enim non ex voluntate legatariorum, sed ex mente testatoris
 duos vel plures conjungere volentis dependet.) semper fiunt re
 conjuncti, utpote si alij fundus vel proprietas, alij usufructus
 legatur. *l. 19. l. 26. §. fin. de usufr. leg. l. 4. l. 9. de usufr. accresc. l. 14. §. 2. de*
usu & habit. l. 6. de usufr. ear. rer. qua usu consum. Et in hac conjuncti-
 one omnes conveniunt Re conjunctos ab initio habere solidum,
 concursu vero facere partes *l. un. §. 11. C. de caduc. toll. ibi quia sermo*
testatoris prima facie omnibus solidū assignare videtur. Manifestum e-
 nim est (cum dicit: Primo fundum Tusculanum do lego, Secundo fundum
 Tusculanum do lego) ex ipsis ver-
 bis testatoris quod fundus Tusculanus non minus integer sit
 legatus

legatus primo quam secundo. Et inde in defectu alterutrius, alteri non aliquid accrescit, sed tantum nihil decedit. Hinc Ius quod non - decrescendi Dd. appellant in hac conjunctione obtinet *d. l. un. §. 11. C. de caduc. toll. vs. si vero nemo alius veniat, vel venire potuerit, tum non vacuatur pars quæ deficit, nec alij accrescit, ut ejus qui primus accepit legatum augeri videatur, sed apud ipsum qui habet solida remanet nullius concursu diminuta.* (e) Verbis conjuncti sunt, qui quidem conjunctiva oratione, verum ad diversa & seperata legata, expressis, discretis, certis & definitis partibus vocantur. Verba enim *ex aequis partibus* faciunt ut diversæ sint res, cum pars uni data eadem esse non potest, cum parte alteri data, licet partes sint corpore indivisæ. Veluti si testator dixerit: *Primo & secundo fundum Tusculanum æquis partibus do lego.* Constat enim Verbis Conjunctos semper partes habere *l. 89. de leg. 3.* hinc fit ut inter verbis Conjunctos jus Accrescendi per se non sit. *quod patet ex l. 11. in fin. de usufr. accr.* cum semper partes habeant *l. 89. de leg. 3.* Excipe hereditates, ubi indistinctè locum habet, licet verbis Conjuncti ab initio partes habeant: Imò etiam tum cum verbalis conjunctio deficit, & nullo modo heredes sunt conjuncti. V. C. *primus ex semisse heres esto: Secundus ex altero semisse heres esto, propter hereditatis jus individuum, & propter testati & intestati perpetuam pugnam, §. 7. 1. de hered. Inst. l. 7. de R. I.* Et in hac verbali conjunctione omnino differentia facienda est inter legata & hereditates, quoniam testator legata dividere potest, ita ut divisa maneant, neque pars rei legatæ accrescat legatario, utcunque alter deficiat: In hereditate autem id testator facere non potest: qui igitur legat *ex aequis partibus* is regulariter jus accrescendi excludit, qui autem heredes instituit *ex aequis partibus* jus accrescendi excludere nequit *ut eleganter. C. I. A.* In omni enim conjunctione unde jus Accrescendi vel non-decrescendi speratur, omnino requiritur, ut ab initio singulis solidum sit datum & concursu partes fiant. *l. 1. §. 3. l. 3. pr. de usufr. accresc. l. 20. de leg. 2. l. 80. de leg. 3.* Nec illorum cerebrina & divinatoria opinio admittenda: qui Verbis conjunctos habere quidem partes ex verbis testatoris, concedunt, solidum autem ex conjecturata voluntate ejusdem eis assignant: cum in manifestis non sit locus conjecturis *arg. l. 137. §. 2. de V. O. & quod si voluisset testator*

verbis, pars que Coniuncti deficiat, ea soli coniuncto accrescit, non etiam disiuncto, aut verbis tantum coniuncto. *l. 63. de hered. inst.* Quod si vero Coniuncti & disiuncti permixti fuerint *i. e.* Retantum Coniuncti, & Verbis tantum Coniuncti, & Re & Verbis simul coniuncti. hoc modo: Primo fundum Tusculanum do lego, Secundo fundum Tusculanum do lego: Tertio & Quarto ex æquis partibus fundum Tusculanum do lego: Quinto & Sexto fundum Tusculanum do lego: In hoc casu si deficiat primus, qui cum non soli secundo, sed omnibus sit re coniunctus, & par sit omnium causa, non soli secundo sed omnibus portio eius accrescit, ita tamen ut coniuncti unius personæ potestate fungantur. *l. 34. pr. de leg. 1. l. 11. l. 13. pr. de hered. inst. l. 7. de usufr. accresc.* cum quasi in unum corpus redacti sint. *l. un. §. 10. fin. C. de caduc. toll.* Si deficiat Tertius, soli quarto accrescit, fiunt enim ex accidenti & dispositione secunda testatoris, & inde orto concursu reliquorum, etiam re coniuncti, & ita ex accidenti fiunt re & Verbis Coniuncti, non quidem in solidum, sed in partem ipsis assignatam, quæ reliquorum concursu est diminuta: Si quintus deficiat, soli sexto accrescit, quia re & Verbis Coniuncti sunt potiores. *l. 89. de leg. 3. ad quem locum C. I. A.* (h) Succedit nunc ut videamus quomodo alicui accrescat, ubi vel cum ONERE vel sine onere. idque interdum invitis & nolentibus accrescere sciendum: Verum cum distinctione res est expedienda, cum aliud in hereditatibus aliud in legatis observetur. Cum onere æris alieni scilicet: & legatorum ac fideicommissorum à defuncto relictorum accrescit HEREDIBVS *l. un. §. 10. C. de caduc. toll.* non enim ferendus est, is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit. *d. l. un. §. 4.* & secundum naturam est incommoda eum sequi quem sequuntur commoda *l. 10. de R. I.* gravamen enim potius hereditati quam personæ impositum videtur. Et accrescit heredibus invitis & nolentibus *l. un. §. 10. C. de caduc. toll. l. 53. §. 1. l. 35. pr. l. 38. de acquir. hered. l. 6. C. de Imp. & al. subst.* Ergo etiam ignorantibus. *l. 31. de acquir. hered.* Excipit, C. I. A. quosdam casus. primus est *in N. i. c. 1. §. 1.* secundus est. *in l. 61. de acquir. hered.* tertius est *in l. 55. d. t. & l. 79. ad Treb.* Sive hereditas ab intestato (quoniam absurdum est ejusdem hereditatis partem agnoscere partem repudiare *l. un. §. 10. C. de caduc. toll.* nec ab herede, qui una cum defuncto persona esse videtur *l. 22. de usucap.* pro parte tantum

tum representari potest, cum contra naturam sit quem pro parte vivere pro parte mortuum esse) sive ex testamento deferatur, propter testati & intestati perpetuam pugnam. DE LEGATARIIS nunc videre est, qui aut Coniunctim aut Disiunctim sunt vocati: Coniunctis accrescit (*secundum supra dd. ubi ipsa legatariorum ad eandem rem coniuncta vocatio prima facie divisionem & partium rationem habendam esse indicat,*) si postquam conjunctorum alter legatum suum agnoverit, alter repudiat, eò quod pars legati vacans ad alterius partem, & quidem talis, qualis est i. e. cum onere suo, si quod fuerit legato adjectum, accrescat. *l. un. §. 11. ibi cum omni suo onere C. de caduc. toll. idque VOLENTI tantum d. loc. ibi si habere maluerit.* Ne autem hic quod de partibus ex defectu alterutrius accrescentibus dicitur, ita accipiatur, ac si mixtim Coniuncti ab initio revera partes haberent vel facerent, sciendum quod hoc primà fronte & quà verbalis Coniunctio spectatur ita videri posset, & verè ita quoque habendum esset, nisi adjuncta præterea Realis coniectio, seu mentio rei simplex & absoluta (quæ cogitationem ejus integrè ac solidè inducit :) ab ista partitione intellectum revocaret. DISIUNCTIVORVM seu re tantum Coniunctorum res videtur expedita, cum illi ab initio habeant solidum, & apud eum nullius concursu diminutum remaneat. *d. l. un. §. 11. C. de caduc. toll.* quæstio hæc an volentiam invito accrescat? iuc non invenit terminos habiles. Hinc nec ad onus quod ad deficientis personam est collatum adstringendus erit, cum non alienum, sed suum tantum legatum imminutum habeat. *d. l. un. §. 11. C. de caduc. toll.*

Thesis IIII.

Antequam claudatur hæc disputatio, Causa finalis, (quam dico tum favorem ultimarum voluntatum, (*a*) tum odium caducorum, (*b*) Effectus (qui est actio) & Contraria in quibus locis nim: Jus Accrescendi cessat (ut sunt acquisitio, (*d*) substitutio, (*e*) prohibitio, (*f*) legatum alimentorum, (*g*) & alia præter supra in *00. enumerata*) perlustranda restant.

(*a*) Causam finalem assignat C. I. A. favorem ultimarum voluntatum

voluntatum, ut testatoris voluntas individua. *l. 18. §. 2. de his qua ut indign.* plene & totaliter suum sortiatur effectum: Reipublicæ enim interest, ut ultimæ voluntates, quæ sanctæ & instar legum sunt habendæ, *Nov. 22. c. 2. vs. disponat.* habeant exitum, eæque omnibus modis conservari debent. *c. ultima voluntas. 13. q. 2. c. admonere. 16. q. 1.* & ut defunctus à successore in solidum representetur. *arg. l. 34. de acquir. rer. dom. & l. 7. de R. I.* (b) ex Constitutione Justin. *in t. t. C. de caduc. toll.* (c) quæ actio est eadem cum ea qua Principale petendum est: nec res principalis & accessoria diverso jure censi debet. *l. 26. §. 2. de pact. dotal.* (d) post acquisitionem & concursum factum regulariter cessat omne jus accrescendi, secundum ea quæ s̄ *in θ. 1. lit. f. dd. sunt.* Excepto usufructu, qui & constitutus & postea amissus, nihilominus jus accrescendi admittit. *l. 1. §. 3. l. 10. de usufr. accresc.* (e) Cum provisio hominis tollat provisionem legis *l. 39. de acquir. hered.* substitutus enim qui expressam voluntatem testatoris habet, merito conjuncto, qui ex tacita venit testatoris voluntate, præfertur *l. 2 §. 8. de B. P. S. T. Auth. hoc amplius. C. de fideic. l. un. §. 3. & 4. C. de caduc. toll. Nov. 1. c. 1. §. 3.* (f) Cessat & jus accrescendi propter prohibitionem testatoris, quam in legatis omnino facere potest, cum nulla ratio impediat, illa enim pro lubitu dividere potest, aded ut divisa maneat, secundum s̄ *dd.* & pars legati deficiens commode sine ullo absurdo apud heredem manere potest. (g) Et tandem cessat in legato alimentorum *l. dominus 57. §. 1. de usufr. l. 3. vs. debet autem l. 16. §. 2. de alim. leg.* Et hæc sunt quæ de materia illa difficili & inexplicata *Wes. in π. de usufr. accr. n. 4.* alta, subtili, & de apicibus juris. *Ant. Gomez. 1. V. R. C. 10. pr.* quæ mirificè Doctorum ingeniatorsit. *Fach 4. convers. 98.* dicere volui: plura qui desiderat, *Dd.* qui totos tractatus de hac re scripserunt, consulat.

Tandem, Tibi DEUS Ter. Opt. Max. cujus ductu incipere, cujus nutu tractare, & cujus auxilio & assistentia paucula hæc conscribere licuit, gratijs sempiternis actis, disputatiunculæ huic impono sinem, eamque claudo.

F I N I S.

ULB Halle
005 714 745

3



VD17







Farbkarte #13

B.I.G.

DISPUTATIO INAUGURALIS
IVRIDICA
DE
IURE ACCRE-
SCENDI

35 / 507.
1642,6.

Quam

PRAESIDE DEO TRIVNO.

Ex Decreto & Auctoritate

Nobilissimi & Amplissimi
IVRIS CONSVLTORVM

Ordinis in celeberrima Argento-
ratenfium Univerfitate

Pro

Summis in utroque Iure Confequendis honorib.
Privilegijs, & Dignitatibus
DOCTORALIBVS.

Publico Solennique Examini
fubmittit

GEORGIUS Schwarzer, Sebufienfis.

Ad diem 9. Mensis Maij. Junij.

ARGENTORATI,
Typis, **JOHANNIS ANDREÆ.**

M. DC. XLII.

